



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Decisiones Practicæ Casuum Conscientiæ Selectorum In Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum**

Pars Altera Decisionum Practicarum Casuum Conscientiæ Selectorum In  
Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim  
Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

**Leonardelli, Bonaventura**

**Augustæ Vindelicorum ; Græcii, 1739**

Q. 4. An, & quomodo Nigronius peccaverit, carnes diebus prohibitis in via  
comedendo?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41144**

præcepti Divini. Imò etſi præceptum Communionis Paſchalis eſſet merè Eccleſiaſticum, non tamen illi ſatisfieret per manducationem Sacrilegam juxta citt. *cap. omnis utriusque &c.* quod præcipit, ut Sacramentum Euchariftiæ *reverenter* ſuſcipiatur ad minus in Paſchate: hoc autem non fit per Sacrilegam comeltionem, quæ juxta mentem Eccleſiæ non ſolum phyſica eſſe debet, ſed moralis phyſicam includens; moralis autem manducatio eſt ſumptio corporis, & ſanguinis Domini per modum cibi, & potûs animam nutrientis, & roborantis; non verò per modum veneni eam ſpiritualiter occidentis.

252 Ad 4. Q. Respondent Sanch. *l. 2. c. 4. n. 25. Azor cap. 27. q. 3. & c. 29. q. 7. Martin. Becanus cap. 9. q. 5. dub. 5. Laym. l. 2. tr. 1. cap. 11. Palao D. 1. p. 17. n. 9.* Coninck, & alij, non peccare Catholicum, ſi inter hæreticos die interdicto carnes comedat, ut celet ſuam Religionem, ne inde periculum vitæ, bonorum, vel aliud grave damnum incurrat. Rationem dant; quia neque peccat contra Eccleſiaſticam jejunii legem, utpote quæ in tali neceſſitate non obligat, neque contra legem Divinam non abnegandi veram fidem, ut alibi dictum eſt; quia licet per eſum carni-um diebus prohibitis aliquo modo diſtinguantur fideles, & Catho-  
R. P. Leonardelli Soc. Jeſu.

lici ab infidelibus, & hæreticis, non tamen eſus illarum per ſe eſt nota, aut profeſſio hæreſis: ergo illis cibus utens non poteſt præſumi negare fidem veram, aut falſam proteſtari, ſed tantum voluiſſe occultare illam, cum eam manifeſtare non teneatur: Quare etiam inter Catholicos reperiuntur, qui die interdicto carnes comedunt, vel ob juſtam cauſam excuſati, vel ob injuſtam victi, & ſuperati.

Neque obſtat, quòd hæretici ex tali carni-um comeltione colligere poſſint, aut ſoleant, talem comedentem eſſe fidei ſuæ ſectatorem; quia id per accidens fit, & ex gravi cauſa hanc ipſorum deceptionem permittere haud illicitum eſt, dummodo abſit ſcandalum, & Religionis contemptus. Unde

Limitant hanc doctrinam citt. AA. cum aliis. 1. Tunc tantum licitum id eſſe, quando ejuſmodi cibos non poteſt quis aliter reſpuere ſine ſuſpicionem, & damno; nam ſi allegando aliam cauſam, v. g. Stomachi debilitatem &c. reſpuere tales cibos poſſit, debet id facere, eòſque cibos reſpuere.

2. Limitatur, niſi ex tali exemplo ſequatur grave ſcandalum v. g. in Catholicis, ut ſi videntes,

Nn

tc



te cibus vetitis uti, existiment, te Papæ inimicus, ex hoc carni-  
defecisse à fide &c. ferculo sumat, & comedat.

3. Limitant, nisi autoritate publica, aut privata provoceris ad vescendum hujusmodi cibus in contemptum Religionis veræ, ut si quis hæreticorum ad explorandam tuam fidem in hospitio, & eadem mensa die interdicto tibi dicat: Qui Evangelicus est, &

Ex his patet responsio ad 4. Q. videlicet non peccasse Nigronium, si in via eos cibos respuere non potuerit absque gravi suo incommodo, & damno. Secus ab eis abstinendum fuisse.

## CASUS XLV.

*De jejunio naturali ad Communionem & Missæ celebrationem requisito.*

**B**lax, cum in hospitio in seram usque noctem se detinuis-  
set, altero die, cum manè communicare cogitat, incipit dubitare, an biberit adhuc ante, vel post medium noctis, & an dum os ablueret, modicum aquæ in Stomachum descenderit, quo tamen dubio contempto Sacræ mensæ accumbit, & communicat.

*QUÆR.* An qui certò scit, se comedisse, vel bibisse, sed dubitat, an id ante, vel post duodecimam noctis horam acciderit, possit sequenti die licitè Communicare, vel celebrare?

*QUÆR. II.* Et an, qui scit, se post medium noctis fuisse jejunum, sed dubitat, an postea aliquid de cibo, vel potu deglutiverit, & in Stomachum descenderit?

*QUÆR. III.* An, qui ad primum horæ duodecimæ pulsus non statim cessat à potatione, vel comestione, sed expectat, donec omnes ictus absolvantur, possit licitè die sequenti communicare?

Ad